



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quòd fides per media appræhendit gratiam & beneficia Christi, & non sola,
id est, sine medijs. tit. 63

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

QUOD FIDES PER MEDIA

apprehendit gratiam, & beneficia Christi, & non sola, id est, sine medijs.

TITVLVS LXIII.

Rimò multi errant, dicentes: qui credit quòd Deus cū redemit, ille saluabitur nihil est cum operibus, semel redemptus sum, &c. At si sola fides & Dei misericordia saluat, ad quid sunt instituta Sacramenta, Baptismus, Eucharistia, pœnitentia &c. Nam Ioan. 3. dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei, Et Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Marc. 1. Pœnitēmini, & credite Euangelio. Cur adiungit fidei pœnitentiam? cur iubet manducare Eucharistiam? alioqui vita carebit. Ioā. 6. facta est veritas 1. Corinth. 13. Item cur exigit à fidelibus Paulus obedientiam legis, Rom. 3. Legem statuitur per fidem, & Christus Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Item, cur laudes, cultum, gratiarum actionem, orationem dominicam, cur docuit ieiunium, eleemosynam, Matt. 6. si sola fides sufficit, scilicet quia Christus me redemit, omnia ista frustra sunt? Respondetur primò hoc notandum est, quòd omnia Sacramenta, opera Decalogi, cultus, cæremoniæ, nō sunt ipsa gratia, neq; Christus in persona, neque fides meta Christi: idèd neque Sacramenta, opera Decalogi, cæremoniæ, fides me saluant, sed Christus & ipsa gratia, & beneficium Christi. Idèd 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c.

Secundò, Sacramenta, opera Decalogi & cultus media sunt, per quæ fides apprehendit & haurit gratiam Christi.

tiam Christi. Sic fides per baptismum hoc mediū apprehendit remissionem peccatorum, sic per absolutionem &c. Non elementum sacramentum facit, sed Deus operatur & distribuit gratiā per ea. Ad hoc etiā Christus instituit hæc media, per quæ fides nostra illa debet apprehendere, non fides sola sine medijs, & quæris, cur hoc, cum hoc possit fides sine medijs? Respondedo, voluntas Dei sic est: & quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sic virtus Dei operatur per Euangelium credenti, Rom. 1.

Tertiò, externa ergo illa instituit Deus circa fidē, vt in lege naturę, oblationes, Gen. 4. In lege scripta, circūcisionem, Gen. 17. In lege Euangelica, baptisma & alia sacramenta & opera, vt nos certiores essemus de apprehensa gratia, cō quòd debiles sumus nudo verbo credere. At sunt sacramenta signa reconciliationis certa, quia Deus infallibiliter assistit: adiuuāt & confirmant sacramenta fidem. Sic baptismus certificauit Eunuchum, Act. 8. Absolutio, Dauid, 2. Reg. 12. & Magdalenam, Luc. 7. sic confirmatio Samaritanos, Act. 8. sic de Eucharistia in fide, quòd passio Christi pro nostris peccatis facta est, Rom. 4. sic est decalogus, ceremoniæ ad differentiam, quia non sumus Iudæi vel gentes.

Quartò, nihil ergo meremur sanctis operibus? immò primò impetramus Christum cum omnibus suis beneficijs. Rom. 8. qui dedit filium &c. hæc nobis distribuuntur, & fides accipit. Secundò, obedientia nostra habebit præmium magnum accidentale. 1. Cor. 15. differt stella à stella, &c. Summa, fides per media apprehendit gratiam, & non sine illis. Videant ergò saluandi.

DUBITARE DE REMIS-
sione peccatorum.

TITVLVS LXIII.

Nn 5

Primò,